

1574

Principe , ac Senatu usque ad locum , quem *Lizzafusinam* vocant , abestque ab urbe quinque passuum millibus , ductus est . Eadem cymba Rex ac Princeps vehebantur ; altera pontificius sequebatur legatus ; reliqui mox Duces , quos Senatores claudebant ; inde publica navigia , quæ abs transversa munitione (*currum* illud vocabant) in amnem Medoacum trajecerant , ingressus , Ducibus , atque immensa prope confluentis populi multitudine Patavium proficiscitur ; quaque per Venetas transibat ditiones , sumptu publico , regisque honoribus exultus fuit .

Mocenicus discedenti Regi iter faustum , prosperaque cuncta precatus , Senatus , patriciæ nobilitatis , omniumque civitatis ordinum propensum studium atque observantiam , quam erga majores illius omni officiorum genere excoluerant , detulit ; neque ullo unquam tempore humanitatis ac benignitatis memoriam , qua ipse regio adspectu Rempublicam exornasset , elabi ex animo Venetos passurus testatur . Erat in Aloysio Mocenico Principe summæ gravitati haud impar eloquentia conjuncta , insitumque oris totius decus , quo cunctos in sui admirationem atque amorem ita alliciebat , ut ad sustinendam Venetam majestatem factus videretur . Illum Rex amplexatus , gratias ingentes Reipublicæ egit : si se aliquando obtulerit occasio , in ea tuenda atque augenda regni vires , opes collaturum , se ipsum quoque ad futurum pollicitus . Cum vero ea tempestate Gallia religionis dissidiis , procerum ambitione , imperandique cupidine fluctuaret , qua maxime debilitari atque enervari potentissimæ gentis gloria videbatur ; Mocenicus inter eundum , reliquis semotis , Regem alloquendi facultatem nactus , sensim ad ea , quæ in Galliis acciderant , orationem deflectens , quodque ad reipublicæ christianæ incolumitatem in primis pertinere arbitrabatur , Henricum ad intestinas dissensiones tollendas , subjectos beneficiis demulcendos , conciliandos , pacandosque animos , quantum tenus ejus dignitas permitteret , est adhortatus . *Quantum enim inde virium atque existimationis Galliæ accessurum ? quantum sibimet decoris , & commodi obventurum ? quam ingens iis , qui torvis oculis amplissimi regni potentiam aspicerent , formido incuteretur ? tutissimumque præsidium sociis*

*Mocen-
icus Prin-
ceps Hen-
ricum Re-
gem ad dis-
sensiones &
Gallis tol-
lendas bor-
tatur .*

ac